

*Cor et anima una.*

Lectio Actuum Apostolorum

4, 32-35

- <sup>32</sup> **M**ultitudinis credentium erat cor et anima una,  
nec quisquam eorum, quæ possidebant,  
aliquid suum esse dicebat,  
sed erant illis omnia communia.
- <sup>33</sup> Et virtute magna reddebant apostoli testimonium  
resurrectionis Domini Iesu,  
et gratia magna erat super omnibus illis.
- <sup>34</sup> Neque enim quisquam egens erat inter illos;  
quotquot enim possessores  
agrorum aut domorum erant,  
vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant,  
<sup>35</sup> et ponebant ante pedes apostolorum;  
dividebatur autem singulis,  
prout cuique opus erat.

Verbum Domini.